



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Confessarij quamuis approbati, Casibus conscientiæ studeant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**

Sed quia sæpius contingit, ut per suorum obedientiam mutentur, ideo bis in anno prædictum catalogum nobis offerent; primum quidem ad primam septimanam Adventus, secundum deinde primis ferijs Quadragesimæ: Confessarij autem qui in nostra diocesi versantur, Pastoribus, aut Vicarijs foraneis, testimonium admissionis suæ, quæ ad huiusmodi munus idonei esse iudicati sunt, quotiescunque ab eis exigerur; ne recusent ostendere, in templis verò, in quibus plures sint confessarij, in foribus sacrarij tabula suspensa habeatur, quæ omnes eius templi confessarios à nobis approbatos contineat, quæ toties mutanda erit, quoties alij deligentur.

Confessarij, qui à censuris & casibus reservatis absolvendi potestatem a nobis habent, summa cum prudentia eam exerceant, ut sit ædificationi potius, quam destructioni locus; quam ob rem si in utilitatem & auxilium pœnitentis, qui in aliquod eiusmodi peccatum incidit, iudicent expedire ad nos eum remittere, admoneatur, ut id facere debeat.

*Confessarij quamvis approbati, Casibus conscientia studeant.*

Omnes Confessarios, quamvis à nobis ut idonei semel admissi fuerint, tamen ob graues & diuersos scrupulos, qui pœnitentibus in dies occurrunt, & plurimas difficultates sibi cohærentes habent præmonitos, volumus, ut bonos, & classicos auctores nonnullos, qui Casus conscientia ex Professo tractant, manibus continuè terant, quod si non videantur sibi satis iudicij, & doctrinae comparasse, ut possint quaestiones ob-

iectas resolvere, meminerint adire doctiores, & in talibus melius versatos. Sciant aut nos in hunc finem dedisse speciatim eas partes Pœnitentiariorum maiori Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, & cum Theologis, & Iuris Canonici peritis, si quæ dubia, & controuersia circa res conscientia in hac nostra diœcesi obueniant, & de ijs conferat, & diligenter discutiat, ut postquam res grauioribus nobis communicarit, omnem dubitationem eximat ijs, qui ad ipsum consulendi causa accedent.

Examinent præterea vires ingenij, & scientiam, quam habent, nec se temere ad confessiones audiendas eorum ingerant, quos censuris ita quibusdam inuolutos esse suspicentur, ut se se inde satis explicare nesciant.

Bonam habeant notitiam censurarum, & Casuum reseruatorum, particulatim autem Bullæ in Cœna Domini legi solitæ; similiter Canones Pœnitentiariorum, & nostras has admonitiones sæpius legant.

*Confessariorum Bonitas.*

Cum dubium nõ sit, quin is qui peccato mortali infectus, Sacramentum quoduis administrat, nouo se scelere rursus obstringat; diligenter obseruent, qui Confessarij partes agunt, ne cum peccati mortalis conscientia confessiones audiant, multò verò minus id audiant, si qua censura teneantur Ecclesiastica ligati.

Qui verò feruidi animi Confessarius est, animarumque salutis studio tenetur, ut eas ad virtutes inducat, diuinisque remedijs adiuuet, quibus contra peccata vel pœnitens utatur, vel ab  
ijfdem